



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.1. Pulchritudo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

LIBER II.
PARS PRIMA:*Cogita Deum.*

Certat itaque Deus in primis omnibus
amoris telis: pulchritudine, majestate,
potentiâ, sapientiâ, æquitate, clementiâ; po-
stremò suâ suique tum immensitate, tum
æternitate. Quæ tibi quàm brevissimè pro
tantarum magnitudine rerum alacer expe-
diam.

§. I. *Pulchritudo.*

Prima sit ergò fax amoris, quæ omnium
oculos in sese rapit. PULCHRITUDO. est enim
amori, quod ferro magnes, aut paleæ succi-
num; vel, ut vult Plato, quod partui *Lucina*.

Jam in Deo quantam putas? *audite cantum.*
Summa est vera pulchritudo, justitia est;
si ubique justus, ubique pulcher. [Augustinus.]
IDEAM PULCHRI vocat idem Plato cujus in
comparatione sit *Helena, simia*, stultum ex-
emplum. Ego diem ipsum præ Deo nostro
noctem puto. Nam si est *idea pulchri*, est
ipsamet in abstracto pulchritudo. Sicut e-
nim cum universè dicitur albedo, intelligis
quidquid est in nive liliòve candoris; ita
cum *ideam pulchri* nominas, intelligere de-
bes, quicquid amabilitatis sparsum est hinc
inde in effectum, totum in Deo, tanquam in
fonte

fonte, simul esse collectum. Unde Augustino *semper est nova, semper antiqua.* unde *nova* semper, nisi quia infinita? & unde semper *antiqua*, nisi quia nunquam alia? sic efflorescens ortu perpetuo, ut tamen antiquitate sit cana: & rursus sit grandæva, ut consenescat nunquam. Quotidie pariens in Patre, quotidie nascens in Filio: in utroque & ab utroque semper amor, & semper amans. Nunquam effœta; simplex & tota, multiplex & una, sine partibus, & harmonica tamen.

Ecce mundo nihil est formosius, ut qui omnium omnes in sese formas contineat unus; nihilominus quota pars Dei mundus? quem uno verbi sui nutu *pulchrum pulcherrimus ipse condidit.* (Boetius.) Isaia. (cap. 40.) *vix stilla est sicula; Sapienti (cap. xi.) gutta roris antelucani.* Denique quid est pulchritudo, nisi perfectio cuiusque rei, numeris omnibus absoluta? nihil ergò Deo pulchrius, quo constat nihil excogitari posse perfectius. Age, conscende gradatim à non vivente ad vivens, ab hoc ad animal, mox ad hominem; indè Angelos percurrere omnes, & singulos specie (si quid Thomæ credimus) formâque dissimiles. Jam hæc inter se com-
para

para: quid erit vermis ad Angelum, infimus ad supremum, unus ad omnes, omnes ad Deum? & quid tu unus, tu infimus, & infimus infimorum? audi majora. Chrysostrmus ait, in uno corpore glorioso plus esse splendoris, quàm si tot essent soles, quot astra: & tamen corporis ad animæ gloriam comparatio nulla est. Qualis igitur erit lucis ad tenebras? Creatoris ad creaturam, hoc est, totius ad nihil? certè tanta, ut Augustinus dicat, vel unum ejus fruendæ momentum, totius æternitatis esse dispendio comparandum. Hæc est illa felicitis incendiî tæda, quâ cæli domus ardet undique, *amore*, ut Dionysius appellat, *interminabili*, rapit enim amabilitas immensa, nec otiosos patitur nec feriantes, felix necessitas, quæ ad meliora compellit! Quid plura? talis ac tanta res est, ut & amissa miseros, & possessa beatos faciat Angelos, homines, omnes, solâ sui seu visione, seu privatione. Sed adhuc audi majora. Deus ipse sui stupore felix est. Nam dum se videt, æternùmque miratur; parit æqualem sibi, quo sic inardescit, ut amore sui flagret non solùm infinito, sed etiam Deo. Amor enim in Patre Filiòque Deus est, & in utroque summa sempiternaque voluptas, ita fruatur seipso Deus. En

En qualis, en quanta summi boni pulchritudo! quæ ipsum quoque Deum non beatum præstat modò, sed & de Deo Deum, amoris æstu reciproco, & amore Deo.

Vide nunc immanem, incredibilémque hominum amentiam, quibus cùm vel unum hujusce pulcherrimæ vitæ momentum totâ sit emendum æternitate, stultis æternitas etiam tota præ momento vilescit. Prò cæcitas! & unde hoc, ô miseri? quis furor est, id ultro temerèque disperdere, quod omnibus votis ambitis? Quoties pro Helena certatum est? *Ecce incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum. quàm Helena Grecorum.* [Augustinus.] Cur ergò tantum incendii in scintillâ; cùm in tanto sit igne merum frigus? an perdidit Deus, quod uni, quod omnibus dedit? Ecce Jobo [Vide cap. 17. & 23.] non est omnis ista, quanta quanta est, mundi pulchritudo, nisi *vestigium* plantæ ejus. Si pro vestigio plantæ sic insanitis, quod erit os, quæ divini forma vultûs? O stulti & tardi corde ad credendum! Quid hoc monstri est? Pars quæritur amisso toto, rivulus fonte deserto? Pars quæritur? imò curritur ad mortem per hos ignes verè fatuos. Et cùm apud Deum solummodo liceat

ama-

amare simul & sapere; vos vecordes nec amatis, nec sapitis, utroque fœdi, utroque fœdifragi.

§. 2. *Majestas.*

Pulchritudini succedit amplitudo, MAJESTAS amoris. Hic est ille *sub quo curvantur, qui portant orbem*, omnibus Rex, potestate non extemporaneâ, non precariâ, nec à subditis extortâ, aut eorum *manibus hinc inde* suffultâ; sed innatâ, inamissibili, atque sempiternâ. Est enim caput mundi, caputque capitis tui, à quo vitaliter intinèque pendes, tanquam à supremo artifice tui, cuius es proinde res, & ut in manu figuli lutum. Exulem te à te, si sine Deo es, *acephalum.* (*Clemens Alex.*) puta.

Ad hæc finge animo Regem, qualem Johannes ipse descripsit, [*Apoc. 4.*] folio sublimem aureo; cui fulmina sunt ad pedes, ad manum Angeli, ad nutum omnia. Cui vitrea mundus instar est bullæ, pila, follis, fritillum quo ludit. Exinde propone millia millium ante ora prostrata, totiùsque latè naturæ supplicibus votis, cælo, terrâ, marique adoratum Numen. Ibi te, ceu vermiculum, tot inter cuneos ne comparere quidem. Quid dico? comparere, sed reum: qualis ille
servus